



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 26. Variæ controversiæ per Papam Romæ compositæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727

sum, & alteri furdo aurium usum restituit. Toto igitur, quo Beneventi morabatur, tempore nova indies suæ pietatis monumenta exhibuit, ac Clerum populumque sibi peculiari benevolentia acceptum eximiis charitatis paternæ officiis profecutus est: Ubi vero Romam reverti instituit, Præsules, Proceres, & Urbis Primores, necnon cives magno numero concurrentes in hæc verba allocutus est: „Filioli mei, amor, quo vos complector, me ad vos, antequam moriar, venire compulit: vestra erga me benevolentia, adhucdum in me immutata, viget, conservate eam mihi, de mea vicissim nunquam intermoritura persuasi sitis, & quamvis a vobis corpore segreger, animo tamen semper vobiscum sum. „ Ad tenerrima hæc Patris verba una omnes gemitu potius ac corde, quam verbis aut lingua filialem suum affectum, gratumque animum testabantur, ac demum die duodecima Maij abeuntem potissimi per integram leucam lacrimis ubertim effusis, & faustissimis acclamationibus comitabantur.

§. XXVI.

*Variae controversiæ per Papam Romanæ compositæ.*

Quam.



Quamprimum Benedictus Papa inter Sæc. XVIII.  
 festivos populi applausus die vi- A. C. 1727.  
 gesima octava Maij Romam ingressus  
 erat, mox animum ad componenda,  
 quæ adhuc fervebant diffidia appulit:  
 Exorta enim erat nova contentio, cu-  
 jus occasio hæc erat: annuente Ama-  
 dæo Sardinæ Rege Pontifex Cardinali  
 Pippiæ munus Protectoris committe-  
 bat, eique ex quodam Canonicatu in  
 Sardinia sito annuos redditus colligendi  
 facultatem dabat, ea autem res Re-  
 gem ob pristinas similtates adhuc ex-  
 acerbatum graviter offendit, indigna-  
 tionis obtentu exin petito, quod Pon-  
 tifex annuam hanc pensionem consti-  
 tuisset inscio ac inconsulto Rege, qui  
 propterea alium Sacerdotem confe-  
 ssum ad hunc Canonicatum pleno jure  
 nominavit, atque Episcopis commer-  
 cium cum Romana Curia interdixit,  
 & denique urbes sacræ Sedi benefi-  
 ciario nomine obnoxias præfidiario mi-  
 lite muniri iussit. Id Cardinalium non-  
 nullis ansam præbuit, ut concordiæ  
 pactis nuper Regem inter & Papam  
 initis obstreperent, & Bullam desuper  
 confici renuerent: Alii vero non jam  
 in secretis indignationibus sese conti-  
 nebant, sed in querimoniam publicam-  
 que criminationem erumpentes summo  
 Pontifici exprobrabant, præter ipsum  
 Mm 2 huc-



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.  
hucusque ex ejus Prædecessoribus nullum inconsultis Cardinalibus tot maximi momenti negotia perfecisse, nec Pontificis esse, quicquam in Sedis Apostolicæ præjudicium Principibus indulgere. Verum Benedicto hisce querelis potior erat Ecclesiæ commodum & animarum salus, quæ ferventibus ejusmodi diffidiis tam in Sardinia quam in Sabaudia periclitari videbatur. Quapropter sua moderatione & prudentia tam dextere Regis animum sibi conciliabat, ut hic sepositis odiis Canonatum unacum pensione Cardinali Pipiæ assereret, eumque in Protectorem fuisse selectum, sibi gratissimum fore testaretur, ac denique sex argentea magni ponderis candelabra unacum Christi crucifixi imagine & duobus argenteis vasis summo Pontifici dono daret.

Jam sex abhinc mensibus inter Papæ Nuntium, & Poloniæ Regem mota erat quædam contentio circa Jus patronatus ac jurisdictionem Ecclesiasticam: Verum Pontifex, ut huic quoque liti finem imponeret, suum Nuntium Romanam revocavit, eidemque Merlinium Pauluccium suffecit, quamvis Congregationis Patres, quibus præfati Nuntii causam dijudicandi datum erat negotium, illum nullius omnino culpæ

reum



reum pronuntiaſſent. Agitabatur in-  
 ſuper alia Venetiis controverſia; hujus  
 enim Reipubiicæ Dux atque Senatus  
 obtendebat, Veneto Patriarchæ Paro-  
 chias ſuæ Diæceſis conferendi juſ ex  
 antiquo competere: Diu multumque  
 hac ſuper re diſceptatum, tandem vero  
 Benediſtus Papa, quod Republica  
 per ſuum Oratorem petiit, pacis ſtudio  
 Venetis indulſit, indignante Oliverio  
 Cardinale, qui inſtigantibus a'iis Pur-  
 puratis Bullam ad hoc neceſſariam  
 expedire, adeo conſtanter recuſabat,  
 ut res omnino infecta remaneret, &  
 Pontifex non ſine animi ſui mærore  
 experiri cogeretur, quod piis ejus con-  
 ſiliis etiam illi, a quibus Apoſtolici  
 oneris levamen ſperare debuiffet, non  
 raro, quamvis forte ſine culpa, nimio  
 ardore obſiſterent, uti patuit in alia  
 occaſione; cum enim in ſacro Purpu-  
 ratorum cætu proponeret, ſibi firmum  
 fixumque eſſe, ut de bonis Eccleſiæ in  
 favorem propinquorum teſtandi facul-  
 tatem, Cardinalibus adimeret, & an-  
 tiquum juſ, vi cujus etiam Patriarchæ  
 & Archiepiſcopi ad electionem novi  
 Pontificis admittebantur, innovaret,  
 Cardinalium non pauci palam recla-  
 mabant, I. contra ſuffragii juſ Patriar-  
 chis vindicandum II. contra transactio-  
 nem cum Sardinæ Rege III. contra

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

Mm 3

con-



Sæc. XVIII. concessionem Tribunalis in Sicilia.  
 A. C. 1727. IV. Contra abrogationes facultatis  
 Cardinalibus concessæ, vi cujus testa-  
 menta condere possent.

Nec deerant aliæ, quibus Papa afficiebatur, molestæ; haud parum enim ipsum contristabant infestæ molitiones, quibus Principum nonnulli in Jacobi III. Angliæ Regis, quem *Prætendentem* appellant, exitium conjurasse videbantur; perceperat quippe, quod Georgius I. Angliæ Rex die vigesima septima Januarii habita ad Proceres oratione, eos ad conferendas militum & pecuniarum suppetias stimularit, eo quod Imperator & Hispaniæ Rex inito inter se fædere *Prætendentem* in Angliæ solium intrudere machinarentur, & funesta hæc consilia ipse etiam Russiæ Imperator secundaret; Nuntiatum insuper Pontifici erat, quod idem Angliæ Rex per suum Oratorem solemniter oppositione reclamavit, ne Papæ Nuntius Principum Conventui, qui Cameraco Sueffionem transferebatur, interesset, & ipsemet Franciæ Rex importunis Angliæ Regis precibus expugnatus, ad omnes Regni Prætores mandata dedisset, ut in omnes Jacobo III. Regi addictos, qui in Galliis maximo numero erant, sedulo inquireretur, ac intra quadraginta octo horarum spatium



tium una omnes Regno excedere juberentur, imo ii quoque, qui in monasteriis delitescerent, inde vi extraherentur. Adversus hoc edictum reclamabat quidem Papæ Nuntius, qui Immunitatis Ecclesiasticæ privilegia, Hospitalitatis jura, & Pontificis patrocinium Anglis impensum opponebat: ast incassum omnia; ipse enim Fleurius Cardinalis Nuntio Apostolico reponerat, Regis edictum inniti Hannoverano fæderi, & successionis juri, quod Franciæ Reges in Georgium I. legitime translatum agnovissent; de cetero autem Regi pergratum fore, si Prætendens ex Avenionensi quoque Comitatu, utpote in Galliis sito, quanto citius emigraret. Hæ totque aliæ haud leves molestiæ Pontificem aliunde gravi senio pressum ita proterebant, ut in morbum sat periculosum incideret, quo tamen paulopost defunctus est.

## §. XXVII.

*Clemens Augustus S. R. J. Elector  
in Coloniensem Archiepiscopum  
a Papa inauguratus.*

Fluxerat annus hujus sæculi vigesimus tertius, quo Josephus Clemens, quartus e Bavaricæ Ducibus Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis Archiepiscopus

M m 4

scopus

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.